

VI. Oportet vero permanente capitis dolore materiam quoque detrahere ex eo per nares vel os. quae res etiam auriculam vel dentem dolentibus prodest nec minus quibus subitae vertigines obversantur, quos scotomaticos Graeci dicunt; item comitiali morbo correptos et caligine impeditos ex magna parte levat. debent autem ii omnes pridie abstinere et superioribus diebus aquam potare. 5

VII. Per nares ergo purgatur caput his rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur: hederæ suco per se vel betæ suco cum exiguo flore aeris vel cyclamini suco mixto lacte aut aqua pari mensura.

VIII. Bene detrahit e naribus liquorem et haec compositio: salis, nitri, mellis, aceti, olei veteris, singulorum X p. binum, cyclamini suci, staphidos agrias, quam herbam pediculariam, quod eos necat, quidam appellant, singulorum X p. I. haec in unum mixta naribus per cornu infunduntur vel pinna longiore nares interius perfricantur. cum satis visum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet vel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit. 15

IX. Sed si per os magis detrahere materiam visum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deduceretur, suadebimus pyrethri radiculam commanducare atque subinde hiantem pati fluere salivam, vel uvam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam et expuendam: aequè enim et haec deducunt pituitam. bene facit et sinapi ex aceto tritum et non excastratum gargarizatum trium cyathorum mensura admixto mellis pondo quadrante: detrahit enim largiter pituitam. 20

X. Prodest, cum diu caput dolet, et adtondere ad cutem et radere et diutius siccum ad relaxationem cutis fricare et aqua calida fovere pura vel laurum incoctam habente. quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus componitur: veratri albi, castorei, struthii, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum X p. I. haec contusa tenuiter forato cribro transmittuntur; cum opus